

seu officia obtinentibus mediam decimam omnium fructuum et proventuum suorum ecclesiasticorum hac vice duntaxat exigendi et percipiendi, necnon personas tuarum civitatis et diocesis praefatas ad huiusmodi solutionem decimae auctoritate apostolica compellendi plenam et liberam concedimus auctoritate praesentium facultatem, non obstantibus quibuscunque statutis et consuetudinibus ecclesiarum huiusmodi contrariis, iuramento confirmatione apostolica vel quacunque firmitate alia roboratis, seu si personis civitatis et diocesis Misnensis praefatis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a dicta sit sede indultum, quod ad praestationem decimae alicui faciendam minime teneantur et ad id compelli aut quod suspendi vel excommunicari seu ipsi vel eorum loca interdicti non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, et quibuslibet privilegiis indulgentiis et litteris apostolicis generalibus vel specialibus quorumcunque tenorum existant, per quae praesentibus non expressa vel totaliter non inserta effectus huiusmodi gratiae impediri valeat quomodolibet vel differri, et de quibus quorumque totis tenoribus de verbo ad verbum habenda sit in nostris litteris mentio specialis, proviso quod beneficia praedicta debitis propterea non fraudentur obsequiis et animarum cura in eis quibus illa imminet, nullatenus negligatur. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. Datum Pisis Non. Julii pontificatus nostri anno primo.

Lazarus.

A. de Baronibus.

Clemens.

P. Negrandi.

Nach dem Orig. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden mit dem Bleisiegel an Fäden von rother und gelber Seide.

No. 808. 1409. 7. Juli.

Derselbe beauftragt den Bischof zu Faenza und zwei Aebte der Prager und Breslauer Diöcesen dahin zu wirken, dass dem B. Thimo die angeordnete Abgabe von der gesammten Geistlichkeit der Meissner Diöcese (No. 807) gewährt werde.

Alexander episcopus — venerabili fratri . . episcopo Faentino et dilectis filiis . . Portae beatorum apostolorum ac in . . Sagano Pragensis et Wratislaviensis diocesium monasteriorum abbatibus salutem etc. Personam venerabilis fratris nostri Thimonis episcopi Misnensis nobis et apostolicae sedi devotam suis exigentibus meritis — nullatenus negligetur^a). Quocirca discretioni vestrae per apostolica scripta mandamus, quatinus vos vel duo aut unus vestrum per vos vel alium seu alios faciatis auctoritate nostra praefato episcopo vel procuratori suo eius nomine decimam praedictam iuxta huiusmodi nostrae concessionis tenorem a personis suarum civitatis et diocesis supradictis integre ministrari, non obstantibus omnibus supradictis aut si eisdem personis civitatis et diocesis Misnensis vel quibusvis aliis communiter vel divisim a sede praedicta indultum existat, quod interdicti suspendi vel excommunicari non possint per litteras apostolicas non facientes plenam et expressam ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem, contradictores per censuram ecclesiasticam

a) Die Bulle No. 807 ist mit den durch die Adresse nothwendig gewordenen Abänderungen wörtlich eingeschaltet.